



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 46. Quomodo natura vna ad plura vtatur, ad tex. com. 124.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Hactenus satis sit hic locus explicatus; nisi illa superflua verba, quibus librum quemdam citat pluribus de respirationis necessitate tractantem. Aueroo's librum quemdam de anhelicu fuisse credit, qui ad nos non pervenerit; verbaque Arist. legit tanquam de re iam explicata (causa autem in aliis dicta est.) Sed Græcè est *ειχθητος*, dicitur. Quare Philoponus & Simplicius interpretati sunt significare libros de partibus animalium & libellum de respiratione. Quam sententiam ego ea ex parte non probo, quod libri de partibus animalium cum hoc de anima libros antecesserint, non poterant hoc loco tanquam subsequutura tractatio proponi. Quare solum de respiratione libellum intelligo, qui & subsequetur est, & hanc rem totam optime complectetur.

*Digestio XLVI. Quomodo natura a vno ad plura utatur.*

**I**am verò illud cuiusdam difficultatem pariat; quod hic locus, qui naturam asserit lingua & inspirato aëre ad duo vti, pugnare cum eo videatur, qui est in capite primo lib. 1. Polit. Nihil enim, inquit, natura facit tale, quale statuarij Delphicum gladium ob inopiam: sed vnum ad vnum. Sic enim optime instrumenta proficiant, si eorum singula non multis, sed vni deseruiant.

Verum utriusque loci explicatio ex iis colligenda est, quæ alibi sæpè dicta sunt. Nam in 8. lib. Phys. t. 56. & in 2. de Cælo t. 34. naturam dixit perpetuò facere id, quod est melius. Et ideò pluribus aliis in locis affirmavit, eam nec in rebus necessariis mancã & deficientem esse, neque in non necessariis redundantem & superfluum. Sanè ut ait Philoponus, compendio semper vitur, delectaturque quàm paucissimis: neque facit quidquam, quod otiosum sit aut superuacaneum. Immo hoc argumento ad res complures conficiendas læpissimè vsus est Aristoteles. Etenim in tex. 91. non multò post probat, pisces non habere arteriam; quia cum non respirent, frustra haberent. Et in tex. 50. lib. 1. Phys. ita probat principia esse finita; quoniam vbi finita sunt, melius est finita ponere, quàm infinita querere. Et in tex. 56. Eiusdem lib. esse duntaxat tria; quia vna contrarietas vnumque subiectum satis sunt; & plura si essent, essent otiosa. Eodem modo in tertio quoque lib. de cælo tex. 37. & 38. argumentatus est. Et in tex. 31. & 32. lib. 1. vnum motum in orbem ratiocinatus est non esse alteri contrarium; quia eorum alter esset frustra. Et in cap. 1. lib. 3. de partibus animalium nullum animal habere simul serratos & exertos dentes; quoniam altero modo dati essent frustra. Et in cap. 11. lib. 4. pisces, oues, & ovipara omnia, non mouere inferiorem maxillam triplici motu, sursum, deorsum, & ad latera, sicut mouent homo & viuipara; sed sursum duntaxat & deorsum: quia cum careant maxillaribus dentibus, tertius ille motus, qui ad molendum & conficiendum cibum opportunus est, esset frustra. Et in cap. 13. piscibus nulla membra pendentia fuisse apposita, vt brachia & crura; quia essent superuacanea; si quidem piscis natura sua natilis est, atque ad nandandum satis sunt pinnula. Ac demum in 2. lib. de animalium ortu cap. 4. In quibus est sexus maris & fœminæ, solam fœminam gignere non posse; quoniam mas esset frustra.

Contrà vero interdum argumentatus est ex

**A**eo, quod eadem hæc ipsa natura minimè deest in necessariis. Quemadmodum in tex. 50. lib. 2. de cælo alstra probauit progrediendo non moueri; quoniam si ita moueri debuissent, natura prouidisset illis instrumenta illi motui necessaria. Et tex. 59. ea esse sphærica; quia cum incedendi motum habitura non essent, credendum est naturam, quæ summo consilio operatur omnia, figuram illis dedisse ad incesum minimè aptam. Et in tertio lib. de anima tex. 44. plantas; & tex. 45. animalia, quæ perpetuò affixa manent, progrediendi facultatem non habere; propterea quod si eam haberent, natura præparasset illis instrumenta ad illum motum opportuna. Et in tex. 60. animalia sensum habere; quoniam is ad querendum alimentum vitamque sustentandam necessarius erat.

**B** Si igitur compendio maximè delectatur natura, neque facit quidquam, quod necessarium non sit; nec tamen in necessariis deest; duo hinc consequi necesse est. Alterum est, eam instrumentorum numerum non augere, vbi commodè & æquè bene vnicò ad plura munera vti potest. Neque solum in hoc loco eam dixit ad duo vti lingua & aëre inspirato, sed in cap. 10. lib. 4. de partibus animalium: tum in masculo, tum in fœmina, eadem corporis parte eam abuti, & ad eiciendum humidum excrementum, & ad rem venerem. Et cap. 16. lib. 2. Elephantum proboscide vti, tum ad sumendum cibum tanquam manu, tum ad odorandum: aliæque his similia pluribus in locis. Et omnino voluit neruum esse sensus & motus instrumentum, corque facultatum omnium & operationum parentem & architectum. Nunc autem quod ad rem presentem attinet, neutra sanè functionum harum alteram impedit: nec minùs perfectè saporis lingua gustamus, aut cor inspirato aëre refrigeratur: quod illis iisdem loquamur & edamus vocem. Immo si bene rem totam examines, non solum non fierent melius hæc operationes, si plura essent instrumenta: quin potius alia, quàm hæc, esse non poterant.

**D** Alterum est; si quæ sint munera, quæ aut nullo modo, aut non commodè & exquisitè vnicò instrumento fieri poterant; in his prudenter auctum fuisse instrumentorum numerum. Quare verissimè illud pronuntiatum fuit; Non quemadmodum ararij ferrarijue fabri gladium, quem Delphicum appellabant, ob vrentium inopiam ad multos vsus habilem fabricabant; vt vnicò sumptu pauperes plura sibi quodammodo instrumenta pararent: sic operari naturam. Sed aut singulis operibus singula adhibere instrumenta, quando vnum plura commodè non potest exequi, vt seruos ad seruiendum, & fœminas ad sobolem procreandam (hoc. n. est, quod eo loco agit Philosophus) & ideò à natura distincta esse fœminam & seruum; neque fœminam natura esse seruam. Aut si commodè possit, instrumento vni opera plura committere: nequid eam ex inopia facere, sed ne quid frustra & superuacaneum molitur. Quod si plures interdum partes ad eandem operationem præparat, vt in gallinæo calcaria & rostrum, in falcone vngues & rostrum, eodemque modo in aliis pluribus: hæc instrumenta diuersarum rationum sunt, naturæque & operandi modo non parum inter se differunt. Sic. n. ad vocem quoque parati sunt pulmones & arteria; & ad sermonem lingua, dentes, & labia: plura scilicet vnius operationis instrumenta, sed inter se diuersa, aliisque atque alio modo operationem eam adiuuantia.

MMM

*Nihilis natura mancã.*

*Natura vno ad plura utatur.*

*exponitur locus ex. 1. lib.*

TEXTVS.

ὄργανον τῆς ἀναπνοῆς, ὃ φωνῆς ἔχει καὶ τὴν μόνειν ἐστὶν ὅσοι πνεύματι τούτῳ τὸ πρῶτον πλεονάζει τὸ ἄλλο τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων. δεῖται δὲ ἀναπνοῆς καὶ ὁ ἀσπὶς πρὸς τὸν ἄσπυρον τὸν ἀσπυρον. διὸ ἀναπνοῆς εἶναι ἀναπνοῆς, εἰσέρχεται τὸν ἀέρα.

Text. 89 Instrumentum autem respirationi guttur. Cuius autem causa haec pars est, pulmo. Hac enim parte plus habent caloris pedestria, quam alia. Indiget autem respiratione et qui circa cor locus primus. Quare necesse est intro respiratum aerem ingredi.

COMMENTARIVS CXXV.

Nunc tandem determinatam illam partem nominat, quam antea dixerat formandae voci necessariam esse: quaeque aerem inspirat, quo postremis verbis affirmauerat interioriorem calorem refrigerari: ac rursus expirat, ut frigidiorum alium inspiret, eoque expirato formatur vox.

Hac igitur pars, quae respirationis instrumentum existit, est φωνή. Quae vox & feminini generis esse potest, & masculina: ac priori quidem modo fauces significat, hoc est vastum illum hiatus, qui post linguae radicem sequitur & τρυφή, id est fistula seu arteria aspera, vocatur. Posteriori autem laringem seu guttur, hoc est supremam faucium & arteriae partem, quae tribus constat cartilaginibus; duplici interiore, & exteriori tertia, quae a clypei seu scuti

forma nomen habuit. Haec a proximis contracta musculis aut dilatata vocem faciunt acutam, aut grauem, aliaque eius differentias; de quibus in 4. lib. de hist. animalium cap. 9. & 5. de eorumdem ortu cap. 7. & sect. 11. & 19. problematum. Haec enim diuersitas, tum ex reliquis instrumentis sumitur, tum ex hac parte potissimum, animalisque vocem formantis calore. Nam si arteria sit magna & ampla, calorque vehemens, fit vox magna, grauis, & valida, quia multum aeris a magno calore pellitur. Sin autem ea sit ampla, sed exilis calor; fit quidem vox magna & grauis, sed tarda & debilis; quia multus aer a paruo calore mouetur. Si angusta & calor magnus, acuta vox, sed vehemens & velox: paruus enim aer a magno calore truditur. Quod si debilis sit calor, vox erit acuta, exilis, & tarda; quia caloris motus est debilis. Propterea pueri acutam, sed vehementem habent vocem; quoniam angusta arteria, sed magnus calor. Quia tamen is ab humiditate obtunditur, vehementior fit vox procedente aetate, quae nimiam absorbit humiditatem; voxque in crassiorum mutatur, quod dilatetur arteria, plusque aeris suscipiatur. Eo scilicet maxime tempore, quo incipit semen emitti. Tunc enim dilatantur omnia vasa, propter maiorem caloris vim. Mulieribus etiam & eunuchis acuta vox, propter caloris defectum & arteriae angustias, quae paruum suscipiunt aeris; qui dum facile mouetur, celerem & concitatam edit vocem. Grauior viris & tardior; quia dilatata arteria plus aeris haurit, quod a grius ac tardius mouetur. Propterea vituli & vaccae grauiorem, quam boues, videtur habere vocem: quoniam cum aequales habeant arterias, minorem habent virtutem. Contra aegrotantes & fatigati acutiorem edunt vocem, quam iudem sani & quiescentes: quoniam contractam habent arteriam &

Vocis forma - tio.

A parum aeris mouere possunt. Denique ex inaequalitate arteriae euadit vox aspera, ex aequalitate lenis, ex siccitate inflexibilis & dura, ex humiditate flexibilis & mollis.

Laringi porro infidet epiglottis ad totius meatus custodiam, ne cibus aut potus ingrediantur, dum ad oesophagum traducuntur; sed solus accit. Itaque laringem quidem & guttur (quidquid dicit Auerroes) interpretari hoc loco oportet; quoniam cum articulo masculino φωνή legitur. Sed tamen necesse est totam etiam arteriam asperam intelligere, quemadmodum Philoponus, Simplicius, & Themistius intellexerunt. Tum quia ex tota, non laringe solo, respiramus; hoc est suscipimus & reddimus aerem. Tum quia Aristoteles ipse ita visus est exponere, dum statim subiungit (cuius autem causa haec pars est, pulmo) propter pulmones enim non solum latinx, sed arteriae tota, quae illis inseritur, ducitque & reducit aerem, facta est. Laringem tamen vel pharyngem potissimum nominauit; aut quod caput sit & principium totius arteriae; aut potius quoniam non per se, sed propter vocem de respiratione loquebatur: neque instrumentum respirationis per se considerat quarebat, sed quatenus respiratus aer edit vocem: hanc autem edit, dum ad laringem vibratur, isque praecipua est arteriae pars, quae si non respirationis, vocis certe instrumentum sit dum aer ad membranas in interiori eius suprema parte vibratae positas & ad epiglottidem alliditur & frangitur.

Arteriam autem factam dixit propter pulmones; quia nil aliud ipsa est, quam via & ductus aeris ad illos, atque in iis plane terminatur & absoluitur, & ut quaecumque animalia pulmones habent, arteriam item habent; ita quae pulmonibus carent, carent & arteria. Haec porro sunt cordata omnia. Siquidem ad cor refrigerandum & interioriorem illum calorem mitigandum pulmones velut flabellum appositos fuisse, cuius erit manifestum, qui eos omni ex parte amplectentes cor intueatur: rursusque animaduertat, animalia omnia, quae pulmones habent, habere cor: tametsi quaedam cor habeant sine pulmonibus, ut in lib. de respiratione cap. 13. traditur. Sed haec alium habent respirationis modum: pisces inquam per fistulam a corde ad brachias ductam, quae aquam suscipit, ut aerem in ceteris arteria. Quare arteria propter pulmones facta est, pulmoneis; propter cor. Tametsi ad vocem quoque edendam, ut respirato aere, sic arteria & pulmonibus utatur natura; atque utrumque hunc respirationis usum in lib. quoque de sensu & sensibili cap. 5. tradi legimus.

Quapropter cum arteriam Aristoteles factam ait propter pulmones; primus quidem & magis praecipuus finis est cor, sed proximus pulmones. Cor enim calidissimum est illud membrum, quod refrigerante indiget aere. Atque hoc sibi voluit illaverba (indiget autem respiratione & qui circa cor locus primus) hoc est id, quod primum & per se respirationis refrigeratione indiget, est cor; quia est primum & per se calidum. Quare necesse est intro suscipi aerem inspiratum. Nam dum respiratum dicit, generalis voce pro speciali vitur; siquidem respiratio & inspirationem & expirationem complectitur. Idcirco arteria aspera cartilaginea tota est, & circulis seu annulis constans; ut patens semper & apertus sit aeris locus: estque satis lata & ampla, ut multum



& cauernulas habet, in quibus frangitur aër; & durior est & pluribus constat cartilaginibus, quae contrahuntur & dilatantur: & epiglottidem quoque incumbentem habet, ad quam etiam magnopere alliditur & frangitur. Quam rem sensus ipse confirmat. Nam dum loquimur aut canimus, ea praeter ceteris miris modis moueri agitarique conspicitur.

Verum aut non dum satis definitum est, quid sit vox: aut id, quod dictum est, vocem fieri ab anima, alio quodam modo accipiendum est, quam verba prima specie praeter se ferant. Etenim non omnis, sed quidam sonus ab anima factus vox est. Neque is factus contrahitur, dum sonus esse dicitur in hisce partibus factus, inspirati aëris percussione: quoniam tussis eiusmodi quidpiam esse videtur: nec tamen vox est. Nam qui tussunt, ut pituitam aut aliquid aliud noxium per arteriam defluens expellant, aërem simul inspiratum trudent: immo & linguam mouent, quae loquutionis & sermonis proprium instrumentum est. Nec tamen tussis est vox: sed pluribus modis à voce distinguitur. Primum in voce sensum & naturaliter egreditur aër ordinatèque percutitur paulatim protusus: in tussi autem aceruatim, praeter naturam, inordinatè & coactè: nec solum aër egrediens percutitur, sed repercutitur quoque, vnde corporis concussio nascitur, non valente aëre id expellere, quod naturæ noxium est. Deinde non tam fit motus aëris in arteria, qui ad vocem requiritur; quam in ore per linguam; vnde tussientes lingua sonare dixit philosophus. Non enim intendit natura mouere aërem in arteria, sed noxiam materiam pellere. Tum vero vox volente animali producitur: tussis non ex voluntate, sed natura ipsa cogente vel inuitum. Denique vox ad significandum quidpiam comparatur: tussis non ad significandum (nisi fortasse ex accidenti, si ita inter quospiam conuenierit) sed ad expellendum id, quod naturæ noxium est & inimicum. Ut igitur vox à tussi distingua-

Tussis à  
voce ut  
differat.

tur, animatum esse oportet id, quod percutit, & cum imaginatione aliqua percutere. Quae verba ita interpretes, ut aut alia conditio addatur, quae superiori definitione non contineretur; aut prior illa explicetur quomodo accipienda sit. Dum enim vox dicitur esse percussio facta ab anima; intelligendum est eam fieri ab anima non merè naturaliter operante, sicut ceterae omnes operantur formae; sed quatenus anima est. Et quoniam ea, quae vocem edunt, sola sunt animalia: operari debent quatenus animalia sunt, hoc est ex cognitione & appetitu. Quare cum duo sint cognoscendi principia, quibus tota animalium vita dirigatur; in bestiis imaginatio, in homine intellectus: vox, quae bestiis quoque inest, ab imaginatione dirigitur; loquutio hominis ab intellectu: voxque formatur percutiente aërem anima cum imaginatione naturales affectus & perturbationes significandi neque articulatione indiget; quia ut affectus simplices sunt, ita simplici sono explicari debent, at in homine in syllabas & dictiones distinguitur, dirigente intellectu ad interiores suas ac multiplicatas notiones promendas atque aliis significandas.

Vox de  
finisio.

Si ergo tota vocis definitio colligatur; vox erit percussio, hoc est sonus (sonum enim esse motum & percussione dictum est) factus ab anima, aëre à pulmonibus respirato & ad arteriam percusso, cum imaginatione quidpiam significandi. Quo-

circā verè omnino vox sonus quidam initio appellata fuit. Non solum quia est sonus talis, iactus ex tali aëre, tali percussione, & tali parte corporis determinata; sed etiam quia inter omnes sonos, qui ita fiunt, ea non solum est sonus respirati aëris, sicut tussis; sed etiam est sonus ad significandum comparatus. Et rursus non est sonus aëris immediatè ad arteriam percussus, sicut tussis, quae noxij cuiuspiam inter aërem respiratum, & eum qui est in arteria, ingruentis violentiam habet expulsiōnem: sed aëris, qui primum verberat alium aërem, qui est in arteria, eumque ad ipsam arteriam impellit & percutit; atque ita paulatim & ordinatè non tumultuariè progreditur; nec immediatè, sed alterius interuentu ad arteriam percutitur.

Sanè si hanc vocis definitionem attentius consideres, omnes illius quattuor causas reperies. Efficiens enim causa est anima, instrumentaria pulmones & arteria; materialis aër respiratus; finalis significatio; formalis demum percussio seu sonus significans. siquidem finis & forma in vnum coincidunt, vt est in tex. 70. lib. 2. Phys.

Sed quod dicitur, vocem ad significandum referri, intelligendum est ad significandum aliquod aliud à se diuersum. Neque satis est, vt (quod recentiores dicunt) vox se ipsam significet, vt blitri & eiusmodi aliae voces fieri: nam si nil à se diuersum significant, voces proprie non sunt. Est enim voci elementale & in definitione positum, rem aliquam significare.

## TEXTVS.

Συμφορὴ δὲ τῷ πρὸς διὰ τὸν αἰῶνα ἀνεπιτόμητον, καὶ ἀνεπιτόμητον, ἀλλὰ ἀνεπιτόμητον: καὶ τὸ πρὸς τὸ ἀνεπιτόμητον.

Signum autem, non posse vocem edere respirantem, neque expirantem, sed detinentem. Monet enim hoc verbum.

## COMMENTARIVS CXXVII.

Ostendit id esse verum, quod postremum assignauit; vocem aëre paulatim & sensim inspirato fieri. Quoniam neque dum inspiramus (respirationem enim dixit pro inspiratione, generali voce pro specialiters) neque dum expiramus, vocem edere aut loqui possumus. Inspiratione id fieri non posse, manifestum est. Quia vox non fit dum suscipitur aër, sed dum expellitur: sique qui ingreditur, alterius egressum, qui sonare & vocem reddere posset, magnopere impedit. Dum autem expiratur, si totus simul & conseruim excludatur, vt fit in tussi; nequaquam vocem formare licet: quoniam toto aëre subito expirato statim vox deficiente materia deficeret, nouèque aëre subeunte interrumpetur. Oportet igitur aërem detineri; neque totum simul, sed sensim & paulatim extrudi vt quasi ad animae imperium respirationem moderetis; vt vox continuari & diutius protrahi possit. Sanè qui frequentè indigent respiratione; vt anhelantes, loqui non possunt: quod aërem nequeant detinere.

Idcirco

Idcirco, inquit Hippocrates in lib. de principiis, homines ubi voluerint edere magnam vocem, at trahentes spiritum externum, eum foras propellant & magnam vocem edunt, prout spiritus durat: postea verò vox contabescit. Sed & cytharædi, cum ipsos vocem intendere oportuerit, spiritum quamplurimum intro trahentes pronuntiationem extendunt & vociferantur, ac magnam vocem edunt, prout spiritus durauerit: ubi verò spiritus defecerit, desinunt. Hoc quidem multo tempore non fit, quia loquendo, & espirando aer consumitur. Sed nec diu anhelitum cohibemus, quoniam interior cordis calor refrigeratione indiget, nec diu potest sine illa consistere. Et idèd vocem sæpè interpolare cogimur, & inter loquendum trahimus sæpè spiritum. Quòd tamen quicquid diutius interiorem aërem continebit, eò diutius vocem, & sermonem continuatum protrahet: illoque non parùm miramur, qui longam aliquam sententiam vno spiritu pronuntiauerint. Sed hi & multum aërem antea inspirant, & illum retinent, paulatimque & sensim spirant. Non. n. fieri potest, vt simul loquamur aut edamus vocem, & respiremus: quoniam hæc contrarios motus significant. Vox aut loquutio retentionem aëris & percussionem ad arteriã, seu ad aërem in ipsa contentum; respiratio susceptionem & redditionem, seu transitum ab exteriori ad interius & contra.

Quæ verò postrema sunt verba, multi ita legunt (mouet enim isto retinens) & ita exponi solent ab omnibus, vt significant, retento aëre fieri vocem; quoniam eo retento mouetur is, qui est in arteria, & ita fit vox. Quæ sententia est vera, sed parùm accommodatè ex philosophi verbis collecta. Græcè enim ita habetur (κλεινὸν ἄνεμα ἐκπνεύει) quæ ita latine reddenda sunt (mouet enim hoc retinens, seu qui retinet.) Vbi pronomen (hoc) est in accusandi casu positum; vt sensus sit, retento aëre nos propterea loqui, quia eum nō statim eiciamus, sicut cùm totum simul expiramus: sed illum mouemus, hæc est allidimus & percutimus ad alterum aërem in arteria contentum, atque ad ipsam arteriam; & idèd vocem edimus. Hunc enim retenti aëris motum voluit Aristoteles ab inspiratione, & expiratione distinguere; vt exponeret id, quod dixerat, non inspirato, aut expirato, sed retento aëre fieri vocem. Atque hoc etiam totum ad illam definitionis particulam explicandam pertinet, quæ vocem definit respirati aëris percussionem: & ostendendum, aërem inspiratum non statim reddendum esse, sed retinendum; vt paulatim expiratus cum percussione reddatur.

Digestio XLVII. De institutione & significatione vocum; humanaque loquutione.

**A**uctor est Aristoteles in primo lib. de animalium historia cap. 1. ita fuisse natura comparatum, vt quædam essent animalia omnino muta, alia strepitum dumtaxat ederent, alia demum vocem quoque formarent: & in his quidem per multa vocem solam nullis litteris exprimendam darent, aliqua loqui etiam possent. Et quoniam diuinissimum hoc animalium genus est homo, cui is potissimum huiusmodi egerit voce, Platonicè proposuit Simplicius in præfatione commentariorum ad Aristotelis Categorias. Sic autem ratioci-

**A** natur. Sunt in nobis mens & anima: in mente notiones & res, quæ intelliguntur, sunt idem; sed nulla ibi vox. Anima verò, dum ad mentem conuertitur, habet & ipsa (quamuis secundo loco) notiones & res in vnum coniunctas: dum autem à mente discedit, notiones à rebus separat, & loco rerum formas sibi quædam format & notiones, quas nititur rebus accommodare, vt earum cognitionem habeat. Sed eadem anima in generationem prolapsa & obliuione repleta, aspectu indiget & auditu; vt ad eorum, quæ cognouerit, reminiscenciam excitetur. Et idèd opus est aliquo, qui iam viderit veritatem, vt voce prodeunte à notione, quam habet, excitet in audiente notionem illam, quæ iam erat obliuione sopita; & ita alter quoque veritatem agnoscat.

**B** Multò meliùs adferre potuisset peripateticum illud in primo polit. lib. cap. 2. hominem esse civilem, aliorumque societate delectari; societatem autem & civilem conuictum sine mutua communicatione, & significatione eorum quæ mente concipimus, non posse consistere. Quæ forsasse est causa, cur ægrius multò cum exteris conuiuiamus nationibus, quarum ignoremus idioma: quoniam propter vocum diuersitatem communicatio, & consuetudo impeditur. Communicatio verò priorum esse debet, quæ aliis quoque impertiantur. Itaque animalibus cæteris, quæ solum habent incūdi & molesti sensum, ea data est vox, quæ nec significare possent. Homo habet etiã sensum iusti & iniusti, recti & prauis, honesti & turpis, veri & falsi: omniumque cognitionem per rationem, & imperium per voluntatem. Et idèd non solum est sociale animal, sed diuinum & intelligens, res mente comprehendens, earumque notiones formans à rebus acceptas per sensus, & eas ex voluntate aliis communicans. Vnde societas existit politica inter homines à bestiarum conuictu longè diuersa: ex qua domus & ciuitates coactæ sunt, prout communicatio hæc vel inter homines solum eiusdem familiae continetur, vel etiam in tota aliqua ciuitate versatur. Sed quoniam hominis intelligentia, eiusque notiones occultæ sunt, opus fuit alio signo, quo alteri indicarentur. Hocque aliquid esse debuit, quod sub sensum caderet, quia homo sensu ad intelligendum ducitur: vt ita alter, cui sensus signum proponitur, ducatur ad percipiendam notionem, quæ inest in animo proponentis. Debit etiam esse facile, ac omnibus præsto, vt facile posset omnibus proponi. Ac demum variabile, ac commutabile, quòd infinitæ propemodum sint & diuersissimæ hominum conceptiones.

**E** Ineptissimi ad hoc fuerunt tres sensus, tactus, gustatus, odoratus, & eorum obiecta. Tactus nimis est materialis ad immateriales animi notiones explicandas: neque ea, quæ sub ipsum cadunt, vanitatem tantam admittunt, vt tam diuersæ possint explicari notiones. Quoniam tamen hoc sensu quoque comprehenduntur figuræ, quibus vt ad representandas notiones possumus; eo non parùm iuuamur: sicut Dydimum à natiuitate cæcum Rufinus Ecclesiasticæ hist. lib. 2. cap. 7. & Socrates lib. 4. cap. 20. & Theodoretus libro quarto cap. 27. alique scriptores referunt solo tactu disciplinas mathematicas didicisse, eadèque arte possemus discere characteres omnes, & legere; si ea constarent materia, in qua figura quæpiam perciperetur. Gustatus autem & est tactus quidam,

MMM ij